

Grammatica  
GERMANICÆ  
LINGVÆ

M. Iohannis Claij  
Hirtzbergenfis:

EX BIBLIIS LVTHERI  
GERMANICIS ET ALIIS  
EIVS LIBRIS COL-  
LECTA.



M. D. LXXVIII. 26.

Herzog August Bibliothek  
Wolfenbüttel

0 1 2 3 4

Gray Scale





P R Æ F A T I O .

quæ Sinear dicebatur, inusitatae altitudinis turrim, Anno mundi 1756. quod factum diuinitus impeditum fuit confusione linguarum, & in perpetuam eius rei memoriã locus ab euentu Babel appellatus est, quòd ibi nata esset linguarum confusio & varietas, cum ante id tempus vno & eodem sermone omnes vbiq; vterentur, vt testatur Moses in Genesi sua cap. 11. quem quidem sermonem fuisse primitus Ebraum, nemo est qui dubitet. Tunc igitur & Germanicam linguam natam esse vero consentaneum est, à quo tempore vsq; ad annum presentem Christi nati sesquimillesimum septuagesimum octauum, qui est ab exordio mundi quinquies millesimus quingentesimus quadragesimus, anni sunt ter mille septingenti octoginta quatuor, qui antiquitatem linguæ nostræ ostendunt. Gens verò ipsa oriunda est ab Iapheto Nohæ filio natu maximo, cuius nepos Askenas pater est gentis nostræ, à quo nomen factum credo præposito Æ hæmantico Theaskenas, vel præpositione De, De Askenas, vnde postea deprauatè scriptum est Duiscones & Tuiscões, vnde Germanicè aliqui **Dentsch** aliqui **Teutsch** scribunt. Narrant tamen quidam, primum regem Germanorum fuisse

PRÆFATIO.

fuisse Tuifconem, & regem vndecimum Alemanum, quem Adelmanum esse autumat Lutherus, vnde Germani nominati videntur à regibus suis Tuifcones & Alemani, vt Troiani à Troë Troës, à Teucro Teucrici, à Dardano Dardanidæ. Germani verò appellantur à fortitudine bellica, prima litera commutata. *Heerman* enim est vir exercitus seu dux belli, quem Itali Ariminum perperam vocant. Accidit autem literæ mutatio inde, quòd non tantùm fortes essent in armis Germani, sed etiam fideles in pugna *παράσταν* tantquam fratres, quos Latini germanos appellant. Aliud quoq; etymon Tuifconum seu Teutonum recenset Lutherus in suo Etymologico priorum nominum, videlicet à cultu Dei sui, quem *Sûd* ex Ebraeo *W* appellabant, vnde tracta denominatio *Sûdisch* Saxonum lingua, quæ prima fuit, & per syncopen *Sûdsch* / nunc verò *Seudsch* dialecto Misnica, & mutata media in suam tenuem *Teutsch* / quemadmodum & posteri eorum eodem modo Gotti à *Gott* / id est, Deo dici voluerunt. Sed quæcunq; sanè fuerit primæua gentis nostræ nomenclatura, illud certè inficias ire nemo poterit, ortos esse Germanos à nepote Iapheti, qui Latinè Ascanius non

P R Æ F A T I O .

malè nominatur , cum ipsi etiam Iudæi  
 appellatione אַשְׁכְּנַזִּים Germanos nominēt.  
 Et si suspicione coniectari liceat , etiam  
 principes Ascaniæ inde denominatos dix-  
 erim, & quæ oppida cum אִשְׁכְּרִי compos-  
 nuntur, non à cinere, sed ab Ascanio de-  
 nominata videntur. Cum igitur Germa-  
 nicæ gentis pater sit Askenas primoge-  
 nitus Gomeri, qui & ipse fuit primoge-  
 nitus primogeniti Iapheti, sequitur, suc-  
 cessione patrum veteri Germanis deberi  
 ius regni & sacerdotij, quorum quidem  
 vtrumq; nobis contigit sub finem mundi.  
 Nam & imperium Monarchiæ quartæ à  
 Romanis ad Germanos translatum est,  
 vt iam electio quoq; imperatoris sit penes  
 principes Germaniæ: Et verum sacerdo-  
 tium, quod consistit in prædicatione Eu-  
 angelij de vero sacrificio Christi, ex ido-  
 latrias superstitionibus & tenebris pon-  
 tificijs ereptum, & ad nos singulari Dei  
 beneficio traductum est, vt iam non so-  
 lum ex fontibus Prophetarum & Aposto-  
 lorum Ebraicè & Græcè à doctis, sed &  
 à vulgo Germanicè ex riuulis Lutheri  
 limpidissimis hauriri possit salubris de  
 iustificatione hominis veritas. Ad hæc  
 duo beneficia accedit etiam tertium, quod  
 ius duplicis hæreditatis, quod ipsum quo-  
 que

PRÆFATIO.

que primogenitis cedebat, meritò videri  
 & existimari debet: Quòd videlicet præ-  
 ter cognitionem rerum Sacrarum & ad  
 salutem nostram pertinentium, quæ in li-  
 bris Lutheri planissimè & plenissimè ex-  
 plicantur, disci potest ex iisdem libris et-  
 iam perfecta & absoluta linguæ Germa-  
 nicæ cognitio, tam indigenis quàm exte-  
 ris nationibus utilis & necessaria. Quam  
 quidem ego Grammaticis regulis hoc li-  
 bro complexus sum, ex Biblijs alijsq;  
 scriptis Lutheri collectis, cuius ego li-  
 bros non tam hominis, quàm Spiritus  
 Sancti per hominem locuti agnosco, &  
 planè in hac sum sententia, Spiritum San-  
 ctum, qui per Mosen cæterosq; Prophe-  
 tas purè Ebraicè, & per Apostolos Græ-  
 cè locutus est, etiam benè Germanicè lo-  
 cutum esse per electum suum organon Lu-  
 therum. Absq; hoc enim esset, fieri non  
 potuisset, vt vnus homo tam purè, tam  
 propriè, tam eleganter Germanicè lo-  
 queretur, sine cuiusquam ductu & admi-  
 niculo, cum præsertim lingua nostra Ger-  
 manica habita sit semper difficilima, &  
 nullis Grammaticorum regulis compre-  
 hendenda. Quod falsum esse cognoscent,  
 qui has breues nostras præceptiunculas,  
 ad methodum Latinæ Grammatices, quo-

PRÆFATIO.

ad eius fieri potuit, accommodatas per-  
 legerint, quas quidem ab annis viginti &  
 amplius cogitatione complexi, & diu  
 multumq; præmeditati, nunc primùm in  
 lucem edimus, iuxta illud  $\pi\rho\omicron\mu\iota\alpha\lambda\omicron\mu\epsilon\nu\omicron\nu$ ,  
 Sat citò, si sat benè, nihil curantes, vel  
 quid alij ante nos scripserint, vel quid ple-  
 riq; de nostro labore sint iudicaturi:  $\kappa\alpha\tau\omicron$   
 $\Psi\delta\epsilon\iota\epsilon\tau\tau\omicron\epsilon\gamma\omicron\nu$ . Quòd si qua sunt in his  
 non satis explicata, primis nostris cona-  
 tibus veniam dari petimus, & promitti-  
 mus, si hæc primordia grata esse cogno-  
 uerimus, duros nos operam, vt, si quid  
 desideretur, id deinceps admoniti labore  
 & studio sarciamus, vel Grammatica au-  
 ctiore, vel certè Lexico, quod in mani-  
 bus habemus, intra triennium, vt confidi-  
 mus, absoluturi, si Deus & vitam & auxi-  
 lium nobis suppeditauerit, neq; interue-  
 niens aliqua calamitas aut cura domesti-  
 ca hunc conatum nostrum impedierit.

Vobis verò viri amplissimi, virtute ac  
 prudentia literisq; clarissimi, quicquid id  
 est laboris, publicè dedico: Sed ita dedi-  
 co, vt vniuersa Grammatices huius Ger-  
 manicæ à me scriptæ & editæ exemplaria  
 vestro nomini & Reipub. inscripta esse  
 sciat, neq; putetis, idem à me factum ef-  
 se, quod hoc tempore fieri solet à quibus-  
 dam



PRÆFATIO.

dam plagiarijs, qui suorum prognostico-  
rum & aliarum lucubratiuncularum v-  
num atq; alterum exemplum vni alicui  
nobili, aut comiti, aut oppido inscribunt,  
& alia alijs. Quod inhonestissimum & à  
litteratis alienissimum crimen nuper falso  
mihi imputatum est à sapientulo quodam  
in Repub. Franconhusana, in literis pu-  
blico nomine & sub signo totius Senatus  
ad me missis, quæ propter inhumanita-  
tem erant neq; tanto magistratu, neq; tam  
celebri oppido, neq; me vel infimo digna.  
Ad quas ego, & hominis ineptiam admi-  
ratus, & nonnihil stomachatus, ita re-  
spondi, vt debui, & vt hominis stoliditas  
merebatur. Sed Deum testem facio ( Si  
fas & pietas in causa tam leui id fieri pa-  
tiuntur ) me toto vitæ meæ tempore ab  
hoc vicio abfuisse longissimè, & nun-  
quam ne vnicum quidem carmen, nedum  
integrum aliquod opusculum dedicasse  
pluribus & diuersis, quod esset iuxta ver-  
naculum nostrum prouerbium, vna foro-  
re duos affines acquirere. Huic rei fidem  
faciunt exemplaria lucubrationum à me  
editarum, quas me apud vestram ampli-  
tudinem nominare, veniam mihi dari pe-  
to. Primitias meas, carmen de Iosepho Ia-  
cobi

P R Æ F A T I O .

cobi filio & Susanna, ante annos 23. editum, dedicaui patriæ meæ Senatui gratitudinis ergô, quod me in scholam Electoriam Grimensem miserat. Explicationes Euangeliorum anniuersariorum, quæ Postilla appellantur, carmine Elegiaco cõtextas, inscripsi Christophoro à Czedlitz compatri meo munificētissimo. Quatuor libros precationum, & Catechismum Lutheri quadrilinguem nuncupauī inlyto & generoso Domino, Dn. Iohanni Friderico Comiti in Hardeck &c. in Cunstad, Domino meo clementissimo, à quo plurimis maximisq; beneficijs, perpetua memoria dignissimis, sūm affectus. Libros tres carminum sacrorum dedicaui Baronibus Christophoro & Iohañi Schenckijs, Dominis in Teupitz & Landsberg &c. Quinq; libros variorum carminum propter materiæ diuersitatem diuersis inscripsi: Primum quidem, qui Epithalamia continet, amplissimo Senatui Vratislauienti: Alterum, qui Epicedia habet & Epitaphia, clarissimo viro Andreae ab Hertuuig I.V. Doctore, Cæsareo consiliario & Fiscali per vtramq; Silesiam: Tertium, in quo sunt Epigrammata, nobilibus Sebastiano, Henrico, & Sigismundo à Czed-

P R Æ F A T I O .

Czedlitz fratribus : Quartum, qui est versio ἑγῶν καὶ ἡμερῶν Hesiodi , collegæ & compatri meo M. Martino Taburno , illustris scholæ Goldbergensis Rectori : Quintum & vltimum de origine & conseruatione nominatæ scholæ Goldbergensis ducum Silesiæ, in qua ego nouennium Musicam, Poëticen & Græcam linguam sum professus, Senatui Goldbergensis. Græcorum poëmatum libros sex dedicaui illustrissimo Electori Saxoniæ Augusto, Domino meo clementissimo, cuius me munificentia , omnibus & terris & seculis commemoranda , in schola Grimmenfi quinquennium , & in Academia Lipsensi biennium aluit. Libros tres Profodiæ Latinæ, Græcæ , & Ebraicæ, dedicaui Senatui Northufano , à quo tum ad scholæ ibidem gubernationem vocabar : Grammaticam meam Ebraicam Senatui Franconhusano : Euangelia deniq; anniuersaria περὶ ἀγλῶτῆα Senatui Mülhusano. Siquid horum , quæ hætenus enumerata sunt, nuncupatū est à me alijs, quàm his, quos nominauī, dignū me ipse iudico & pronuncio , de quo omnes sinistrè & sentiant & loquantur , & qui à societate & consuetudine bonorū excludatur. Accedit præterea

P R Æ F A T I O .

terea testimonium Adami Siberi viri cla-  
 rissimi , præceptoris mei carissimi , ad  
 quem simile factum retuli , indignissimè  
 ferens , cum anno ab hoc decimo nono lu-  
 dimagister essem in patria mea , & qui-  
 dam plagiarius versus aliquot , quos ex  
 Fabricij & Siberi poëmatibus compila-  
 uerat , Senatui Hirtzbergenfi dedicasset ,  
 quo quidem tempore omnem moui lapi-  
 dem , nulli parcens operæ , vt plagiarium  
 illum inuenirem & in ius vocarem , sed  
 frustrâ laboraui , propter nominis , quod  
 fictum erat , incertitudinem . Hæc eò dixi ,  
 vt & famam meam omnibus donis cario-  
 rem liberem , & hominem illum *δοκασί*  
*σοφορ & κενόδοξορ* , qui de me sinistrè suspi-  
 catus est , cuius suprâ mentionem feci  
 ( quicumq; is est ) retundam . De vobis ve-  
 rò viri amplissimi & sapientissimi longè  
 aliud mihi polliceor : tum quòd & virtute  
 & iudicio & nominis existimatione mul-  
 tis alijs antecellitis , tum quòd confido  
 meliorem apud vos per quosdam bonos  
 factam esse mei mentionem & commen-  
 dationem . Quæ quidem ipsa cogitatio  
 præcipua ferè causa fuit , cur vestro no-  
 mini , quicquid id est laboris mei , dedica-  
 re voluerim : Ad quam accedit considera-  
 tio

PRÆFATIO.

tio vrbis vestræ, quæ & ex antiquissimis  
 ac laudatissimis vna, & Thuringiæ, quam  
 ego inter dialectos linguæ Germanicæ nõ  
 vltimam censendam existimo, metropo-  
 lis est: & ad versionem bibliorum Luthe-  
 ri Germanicam prima principia dedit, &  
 maximum adiumentũ attulit. Cum enim  
 Lutherus Augustinianorum bibliotheca  
 Erphordiæ Augustinianus & ipse  
 summo studio perlustrasset, & in Biblia  
 Latina incidisset, lectione libri dilectatus  
 à conuentu sui ordinis exemplum illud  
 vtendum petijt, & impetratum diligentif-  
 simè perlegit, & memoriæ mandauit.  
 Quod cum ceteri animaduertissent, vt  
 propositum eius, quo haud dubiè ipsum  
 de versione Germanica cogitare non ob-  
 scurè intellexerant, impedirent, repetie-  
 runt ab ipso commodati libri exemplũ: &  
 vt à studio suo abstraheretur animus eius,  
 alijsq; curis occuparetur, munus ipsi ædi-  
 tui & alias serviles operas imposuerunt,  
 melius esse dicentes, oppidatim mendi-  
 cando eleemosynas comportare, quàm  
 ociosis cogitationibus tempus perdere,  
 mendicando enim nõ literis operam dan-  
 do monasteria ditari. Sed, vt & Herodo-  
 tus inquit, ὅ,τι δ' ἔ γενέσθαι ἐκ τῶ δειῶ, & μήχα-

VOU

PRÆFATIO.

νομ ἀποτρέψαι ἀνθρώπων, & Gamaliel in con-  
 fessu Senatus Israëlitici sapienter dixit,  
 εἰ μὴ δὲ ἀνθρώπων ἡ βουλὴ αὐτῆ, ἢ τὸ ἔργον τῷ-  
 το, καταλυθήσεται: εἰ δὲ ἐκ θεοῦ ὄσιν, οὐ δύ-  
 νασθε καταλῦσαι αὐτὸ, Act. 5. Ita etiam in  
 hac caussa Lutheri, quæ Dei erat, idem ac-  
 cidit, neq; conatus eius impediri potuit.  
 Nam & furtim in bibliotheca sese abdi-  
 dit, & Biblia sacra sine intermissione at-  
 tentè legit: & cum intelligeretur, quic-  
 quid hac in parte fieret, Dei impulsu fieri,  
 non tantum Bibliorum Latinorum, sed  
 etiam Ebraicorum librorum exemplaria,  
 quæ voluit, impetrauit ex bibliotheca Au-  
 gustiniana Erphordia, quos libros in per-  
 petuam facti memoriam Senatus precio-  
 sissimi thesauri instar, idq; non immeritò,  
 asservare dicitur. Cum itaq; Lutherus pri-  
 mum Bibliorum exemplum Erphordia  
 legendum & deinceps Germanicè inter-  
 pretandum acceperit: non alienum videri  
 debet, si Grammaticam Germanicam ex  
 Biblijs Lutheri collectam eiusdem vrbis  
 Senatui dedico. Sed dixerint aliqui, re-  
 ctius me facturum fuisse, si exterarum na-  
 tionum regibus aut rebuspub. hoc Gram-  
 matices meæ compendiolum dedicassem:  
 Iis ego respondeo, me neq; sumtus in mit-  
 tendis

PRÆFATIO.

tendis tabellarijs facere voluisse: neq; noticiam aut commendationem apud externos habere: (quanquam sunt aliqui, & Bohemi & Poloni, qui discipuli mei fuerunt Goldbergæ, & vt aliquando Grammaticâ Germanicam conscriberem precibus à me flagitarunt, sed absunt iam à me longissimè) neq; externos & exoticos indigenis & domesticis anteferendos iudicasse. Quæ cum ita sint, à vobis viri amplissimi & sapientissimi omni contentione peto, vt has lucubratiunculas meas vestro nomini inscriptas non tantùm non indignè feratis, sed etiam contra maleuolorum morsus defendatis, & me cum meis omni humanitate ac liberalitate complectendum, fouendum, & promouendum suscipiatis. Ego contra polliceor, facturum me sedulò, quantum in me est, quòd ad vestræ & Reipub. exornationem & iuuentutis promotionem à me proficisci poterit, & daturum operam, vt vestræ erga me benevolentia nunquam vos pœniteat. Quod reliquum est, commendo vos & Rempub. vestram cum Ecclesijs & scholis in tutelam Dei, & me meosq; secundum Deum in vestræ amplitudinis amicitiam, studium & fauorem. Valete. Bendelebij, Calen-

PRÆFATIO.

lendis Ianuarij incuntis anni 1578. quem  
toti Germaniæ, communi nostræ patriæ,  
contra infâustam astrorum inclinatio-  
nem, à Deo felicem & salutarem exopto.

Amplitudinis vestræ  
studiosissimus

M. Iohannes Claius  
Hirtzbergensis.





DE GRAMMA-  
TICA GERMA-  
NICÆ LINGVÆ.



RAMMATICA  
congruè loquendi &  
scribendi ratio, & sci-  
entia in omnibus lin-  
guis quatuor parti-  
bus constat, videli-  
cet: 1. Orthographia,  
quæ docet rectè scribere. 2. Prosodia,  
quæ docet rectè pronunciare. 3. Ety-  
mologia, quæ docet rectè inflectere, &  
aliud ex alio formare. 4. Syntaxi, quæ  
docet voces inter se rectè connectere.

De his singulis hoc loco, quantum  
in vernaculâ nostrâ lingua fieri poterit,  
docebitus, tum vt nationes exteræ  
Germanicè loqui discant facilius, tum  
vt nostrates indigenæ & loqui discant  
elegantius, & scribere emendatius.

A

DB

# DE ORTHOGRA- PHIA.

**O**Orthographia literarum rationem continet & docet emendatè scribere, vt neq; omittatur aliqua litera, neq; superflua addatur, neque fiat literarum vel transpositio, vel distractio, vel permutatio.

Sunt autem literæ, quibus Germanica lingua scribitur, vigintiquatuor, & his characteribus signantur,

Aa/Bb/Cc/Dd/Ee/Ff/Gg/Hh/  
Ii/Kk/Ll/Mm/Nn/Oo/Pp/Qq/  
Rr/Ss/Tt/Vv/Ww/Xx/Yy/Zz.

Efferuntur & valent vt apud Latinos, hoc modo:

A be ce de e ef ge ha i ka el em en  
o pe qu er es se v we ix y zet.

Ex his sex sunt Vocales, a e i o u y:  
Reliquæ omnes Consonantes. Sed  
ex vocalibus i & y fiunt consonantes,  
cum



cum syllabam inchoant, & sequitur alia  
 vocalis, & pronunciatur i ferè vt g/ & v  
 vt f / vt : Jar/ Annus. Jeger/ Venator.  
 Joch/ Iugum. Jubilieren/ Iubilare. Ver-  
 manen/ Monere. Viel/ Multum. Vol/  
 Plenum. Et contrà ex consonantibus  
 w / quod natura mollius sonat quam b,  
 & solis Germanis proprium est, Lati-  
 nis & Græcis ignotum, & ex gemino  
 vv componitur, interdum vocalis natu-  
 ram induit, & cum a & e coniunctum  
 diphthongum constituit.

Ex vocalibus fiunt diphthongi, au /  
 aw / eu / ew / ei / ey / ai / ay / ie / à / ô / û /  
 ui / vt : Lauffen/ Currere. Schawen/ Spe-  
 ctare. Keuffen / Emere. Frewen / Gau-  
 dere. Wein / Vinum. Frey / Liber.  
 Waife/ Orphanus seu Pupillus. Hayn/  
 Lucus. Thier / Bestia. Wâhnen / Opi-  
 nari. Kônig / Rex. Wüste / Eremus.  
 Hui / Age.

Ex his ai ay ui rarissimè vsurpantur.

Prætereo dialectos, quæ variae sunt,  
 pro diuersitate regionum, & quædam  
 peculiare diphthongos habent, vt : ou  
 & ow / oi & oy.

A 2

OB-

## OBSERVATIONES.

## I.

Ex Vocalibus a interdum clarè, vt Patha Ebræorum, interdum crasse & obscurè, vt Camets effertur, quæ pronuntiatio vsu discenda est.

## II.

In quibusdam geminum ee scribitur, sed vtrumq; contractè, tanquam vnum sit, effertur, vt Seel / Anima. Monosyllabicè, tanquam scriptum sit Sel. Sic Neeren / Nutrire. Idem sentiendum de aa / vt: Saal / Aula. Monosyllabicè, tanquam scriptum sit Sal. Sic Saat / Sementis.

## III.

Plerunq; e pro à diphthongo scribitur, & effertur perinde vt à / vt: Schemen / Pudere, tanquam scriptum sit Schâmen. Sic Xete / consilia, tanquam scriptum sit Xâte. Hoc quoq; docebit vsus.

## III.

Simplex i nunquam finit dictionem nisi in diphthongo ui. Porrò hæc vocalis

5  
lis duplici figura scribitur : breuiore,  
quæ in medio dictionum, & in Præpo-  
sitione in signatur: & longiuscula, quæ  
in principio Nominum & Verborum  
scribitur, sequente altera vocali, vt Jar/  
Annus. Jung/ Iuuenis. Jagen/ Vena-  
ri: Et in Pronominibus tertiæ perso-  
næ, Jhm/ Ipsi vel sibi. Jhn/ Ipsum.  
Jhr/ Ipsi vel sibi. Jhnen/ Iplis, &c. Et  
in paucis alijs: Et in diphthongo je ini-  
tiali, vt: Jederman/ Quisq;. Jemand/  
Aliquis.

#### V.

Etiam u duplici caractere signatur,  
aperto & clauso, quorum hoc in princi-  
pijs dictionum, & cum fit consonans  
nunquam verò in fine: illud verò tan-  
tum in fine & medio, nunquam in prin-  
cipio vsurpatur, vt: Vater vnser/ πα-  
τερ ημων, Pater nostrum omnium, Wun-  
derbar/ Mirabilis. Du/ Nunc. Du/ Tu.  
Suchen/ Quærere.

#### VI.

U nunquam in principio dictionis  
scribitur, sed semper in fine ut Frey/ Li-  
ber, Manumissus, non Frei. Sic Zwey/  
Drey/

Drey / Duo, Tria. In medio mutatur  
in i simplex, vt: Freien / Ambire puel-  
lam. Zweierley / Dreierley / Duplex,  
Triplex. Prouerb. 30. Interdum in  
compositis manet, vt Freystadt / Iosuae  
21.

## VII.

Ex diphthongis au/eu/ei/nunquam  
finiunt dictionem, sed earum loco scri-  
buntur aw/cw/ey/ vt: Law/Ros. Hew/  
Fœnum. Drey/ Puls. Excipiuntur pe-  
regrina, vt Esau.

## VIII.

Ex Consonantibus c nunquam di-  
ctionem finit, nisi assumat h vel f / vt:  
Hoch/ Altus. Kranck/ Aegrotus. Ex-  
cipiuntur peregrina vt Habacuc / Isa-  
ac/ Kuckuc / ex κόκκυξ vel Cuculus. Le-  
uitici 11. Deuteron. 14.

## IX.

Nunquam dictionem terminat si-  
ne c / vt: Danck/ Gratia. Sack/ Saccus.

## X.

Ch vt χ Græcorum effertur in fine  
& medio, à principio verò vt f / vt Lach-  
en / Ridere. Doch / Tamen. Christ /  
Chri-

7  
Christus, tanquam scriptum sit *Krist* /  
*Chor* / Chorus, tanquam scriptum sit  
*Kor*.

XI.

S in principio & medio dictionum  
scribitur, vt: *Sagen* / Dicere. *Preisen* /  
Glorificare. At in fine dictionum si-  
gnatur clauso caractere s / vt: *Meines*  
*Vaters* / Mei patris. *Sch* sonat vt *Ḥ* Es-  
braeorum, cum habet punctum in dex-  
tro cornu, vt: *Schreiben* / Scribere.  
*Tisch* / Mensa.

XII.

S sine t nunquam dictionem clau-  
dit, cum illo nunquam dictionem inci-  
pit, vt: *Nus* / Utilitas. *Harz* / Resina.  
non *Nuz* / vel *Harz* / Contra *zwey* / Duo,  
non *zwey*. *Zwelffe* / Duodecim, non  
*zwelffe*. Atq; hæc communiora anno-  
tasse, satis esto.

DE COGNATIONE

L I T E R A R V M.

Cognatæ sunt literæ inter se, ideoq;  
Calix in alias mutantur, sed non te-  
merè.

A 4

Ex

Ex Vocalibus cognatae sunt a & e  
interque se permutantur certo modo in  
comparatione & declinatione nomi-  
num, & in formatione temporum, vt:  
Der Man / Vir. Die Menner / Viri.  
Starck / Fortis. Stercker / Fortior,  
Lang / Longus. Lenger / Longior. Ich  
werffe / Iacio. Ich warff / Iaciebam. Et-  
iam o & u inter se permutantur, perin-  
de vt Holem & Schurec apud Hebrae-  
os, vt: From & Frum / Probus. Son  
& Sun / Filius. Kommen & Kummen /  
Venire. Alterum tamen altero vlti-  
mus est.

## II.

Ex diphthongis cognatae sunt au &  
eu / vt: Braun / Breuner / Fuscus. Haus /  
Heuser / Domus. Zaun / Zeune / Sepes.  
Keuffen / Emere. Gekauft / Emtus. Item  
ey & ei / vt: Frey / Freien. Item, ei & ie /  
vt: Schreiben / Scribere. Geschrieben /  
Scriptum.

## III.

Ex vocalibus & diphthongis cogna-  
tae sunt, a & ä / o & ö / u & ü / ö & ü.



vt: Rad / Rota. Räder uel Rieder / Rotæ.  
 Gros / Magnus. Größer / Maior.  
 Loch / Foramen. Löcher / Foramina.  
 Wurm / Vermis. Würme / Vermes.  
 Können & Künnen / Possè. Zörnen &  
 Zürnen / Irasci. Ex ḡ Græco fit te / & ex  
 u fit ù / vt: Dḡr Thier / Dóca Thüre. Præ-  
 tereo dialectos quibus diphthongi con-  
 ciduntur, vt: Kraut / Herba, Krut.  
 Wein / Vinum, Win. Zeichen / Signum,  
 Zechen. Bleich / Pallidus, Blech.

### III.

Ex consonantibus cognatæ sunt in-  
 ter se b & p / g & k / d & t & th / f & v  
 consonans & ph / g & i / c & z. In his  
 spectāda est deriuatio, & numerus plu-  
 ralis, vt: Das Kalb / Vitulus. non Kalp/  
 quia plurale est Die Kälber non Kelper.  
 Sic Danck / Gratia, non Dang / quia  
 Danken / Gratias agere, non Dangen :  
 Contrā Zwang / coactio, non Zwang.  
 quia Zwingen / Cogere, non Zwinck=  
 en. Sic Pferd / Equus, non Pfert, quia  
 pluraliter Die Pferde: Contrā Schwert/  
 Gladius non Schwerd / quia pluraliter  
 Schwerter / Cantic: 3. Psal: 149. Esaia

2. Ezech. 32. In quibusdam etiam differentia est, vt: Sincfen / Delabi. & Singen / Canere. Steuben / Excitare puluerem. Steupen / Cædere virgis. Wird / Erit. Wirth / Hospes. Prætereo dialectos, vt: Water / Saxonice pro Wasser / Aqua. With / pro Weiss / Albus. Rich vel Reich pro Reich / Diues. Hirs / pro Hirsch / Ceruus. Dis & Dite / pro Dis / Hoc. Sed hæc omnia docebit vsus & Etymologia. Atq; hæcenus de Orthographia.

## DE PROSODIA.

PROsodia docet accentus seu pronunciationem dictionum, & rationem condendi Carminis. Accentum nullum Germani expressè signant, sed pronunciant, de qua re accipe has regulas.

### I.

Diffyllaba habent accentum in priore, vt: Leben / Viuere. Geben / Dare. Schreiben / Scribere. Lieben / Amare. Lesen / Legere. Gehen / Ire. Stehen / Stare.

Stare. *Sehen / Videre &c. Excipiuntur* incipientia à *be / ge / ver / zer /* quæ accentum habent in vltima, vt: *Bedacht / Præmeditatus. Gesetz / Lex. Gesethan / Factum. Verlacht / Irrisus. Zerstückt / Destructus*: Et quæ per concisionem dicuntur, vt: *Geliebt pro geliebet / Amatus*. Item à Græcis vel Latinis deducta, vt: *Prophet / Planet / Natur / Figur.*

## II.

Trisyllaba accentum habent in antepenultima, quantacumq; fuerit vltima & penultima, vt: *Heiligen / Sanctificare. Züchtigen / Castigare. Antworten / Respondere. Lebendig / Viuus. Excipiuntur præterita*, quæ accentum habent in penultima, seu in syllaba, quæ augmentum sequitur, vt: *Geschrieben / Scriptum. Gelesen / Lectum. Gezweifelt / Dubitatum. Geliebet / Amatum*. Sic & in *ijs*, quæ ex præterito participio formantur, vt futurum, & totum passiuum, vt infra videbitur. A Græcis & Latinis deducta accentum habent in vltima, vt: *Die Facultet / Vniuersitet /*

et / Section / Nation / Creatur / etc.

## III.

Accentus in declinando manet in eadem syllaba in obliquis, in qua fuit in nominatiuo, vt: Lebendig / Viuus. Des Lebendigen / Viui. Dem Lebendigen / Viuo, &c.

## IIII.

Composita accentum habent in priore parte compositionis, vt: Abschreiben / Describere. Abreißen / Auellere. Aufnehmen / Suscipere. Ansehen / Intueri, Respiciere. Cum verò Emphasis est in verbo, tunc ipsum recipit accentum, vt: Kanstus nicht abreißen / so magstus abschneiden / Si non potes abrumperre, licet tibi abscindere. Idem fit in compositis, à quibus nunquam auellitur Præpositio inter coniugandum, vt: Ich Überlese / Relego. Perlego.

## V.

Composita cum be / ge / ver / zer / ac-  
centum habent post particulas istas, vs:  
Beweisen / Probare, Demonstrare. Bes-  
denken / Considerare. Betrüben / Con-  
tristari. Getümmel / Tumultus. Ge-  
wissen

wissen / Conscientia. Veriagen / Relegare. Versagen / Abnegare. Verzweifeln / Desperare. Zerstören / Destruere.

## VI.

Partes indeclinabiles compositæ cum præpositione, vt in eam exeant, habent accentum in ipsa præpositione, vt: Darauff / ἐπιτίτω. Darumb / Ideò. Zuvor / Antehac. Widerumb / Rursus. Hindurch / Per Illac. Doraus / Inde, ex eo. Herab / Deorsum. Damit / Hac re &c. Idem fit in verbis, cum inter coniugandum præpositio auellitur, & verbo postponitur, vt: Abschreiben / Describere. Schreib ab / Describe. Aufnehmen / Suscipere. Nim auff / Suscipe. Ea verò composita, in quibus præpositio præcedit, quartam regulam sequuntur, vt: Aufwärts / Sursum. Niederswärts / Deorsum.

## VII.

Cum multa monosyllaba ex ordine ponuntur: tunc id, quod Emphasin habet, accentum recipit & eleuatur, cætera βαρύτερας efferuntur. Sunt autem  
ferè

ferè aduerbia negandi, affirmandi, prohibendi, loci, temporis, & quædam alia, pro ratione circumstantiarum: Item Pronomina, vt: *Jch hab ihn geschlagen/* cum persona agentis indicatur, Pronomen *Jch* recipit accentum, vt: *Jch hab ihn geschlagen/* quod Latine dixeris, *Ego illum verberaui*, q. d. Fateor me id fecisse: Sin persona patientis indicatur, accusatiuus *Ihn* recipit accentum, vt: *Jch hab ihn geschlagen/* Ipsum, & non alium: cum verò tempus actionis indicandum est, accentus est in particula *Hab/* vt: *Jch hab ihn geschlagen/* q. d. iam factum est: Cum vero indicanda est ipsa actio, seu modus actionis, accentus est in ipso verbo, vt: *Jch hab ihn geschlagen/* Verberaui, q. d. non sauciaui aut cõfodi illum. Sic, *Jch hats ihm gegeben/* Ego ipsi dedi: *Jch hats ihm gegeben/* Ipsi non alijs: *Jch hats ihm gegeben/* Iam dedi ipsi: *Jch hats ihm gegeben/* Dedi seu donauì ipsi, q. d. non vendidi. Sic cum dico: *Jch kan vnd wil euch nicht verhalten/* Neq; possum neq; volo vos celare, accentus est in aduerbio negandi: Sin  
dico:

dico: Du hast nicht gekaufft sondern gestolen / Non es mercatus, sed furatus, accentus est in ipsis verbis. Sed hæc docebit vsus.

De ratione Carminum veteri & noua, ad imitationem Hebræorum, Græcorum, & Latinorum, dicitur in fine libri. Velle enim docere aliquem compositionem Carminis in ea lingua, cuius cognitionem nondum habeat, perinde est, ac si quis vel surdo narret fabulam, aut cæcum nutu velit aduocare.

## DE ETYMOLOGIA.

**E**Tymologia proprias significationes & differentias vocum, & nominum atque verborum flexiones docet. Sunt autem dictionum differentia, quæ partes orationis appellantur, apud Germanos totidem & eadem, quæ apud Græcos, quarum quinque sunt declinabiles, Articulus, Nomen, Pronomen, Verbum, Participium. Tres indeclinabiles, Aduerbium, Coniunctio,

Etio, Præpositio. Interiectio sub Ad-  
 uerbio comprehenditur, vt apud Græ-  
 cos.

## DE ARTICVLO.

**A**rticulus est nota Nominum, Ge-  
 nerum, Casuum, & Numerorum.  
 Estq̃ duplex: Indefinitus singularis  
 Ein / qui tantum discernit nomen ab  
 alijs orationis partibus, vt: Ein Man/  
 Eine frau / Ein buch / Vir, Mulier, Li-  
 ber. Et finitus, qui Genera, Casus,  
 Numeros indicat, Der / Die / Das / vt:  
 Der Knecht / Die Magd / Das Thier /  
 Hic Seruus, Hæc Ancilla, Hoc Ani-  
 mal, Casus vterq̃ habent Quinq̃.

### PARADIGMA ARTICVLI INDEFINITI.

Masculinum. Fœmininum. Neutrum.

Sing.	N. G. D. A.	Ein	eine	ein.
		Eines	einer	eines.
		Einem	einer	einem.
		Einen	eine	ein.
		Ab. Von einem von einer von einem.		

Para-



## PARADIGMA ARTICVLI

FINITI.

Sing.

Plur.

Masc. Fœm. Neut. Masc. Fœm. Neut.

N.	der	die	das	die
G.	des	der	des	derer vel der
D.	dem	der	dem	denen vel den
A.	den	die	das	die
Ab.	von dem.	von der.	von dem.	von denen vel den.

## OBSERVATIONES.

## I.

Vocatiuo carent articuli ; sed eius loco vtimur Pronomine secundæ personæ cum aduerbio vocandi o , Vt: o du / o ihr.

## II.

Datiuus & Ablatiuus vtriusq; numeri, & in omnibus generibus, sunt similes, & in fœminino singulari etiam cum his genitiuus. Accusatiuus nominatiuo similis est in fœmininis & neutris, & in plurali in omnibus generibus, vt videre est in paradiamate.

## III.

Germani breuitatem amant, ideoq; concisè

B

concisè

conciſe der & den pro derer & denen diſ-  
 cunt in plurali: Et in ſingulari eius pro  
 eines / ein pro einem. Sæpè etiam arti-  
 culum cum præpoſitione contrahunt,  
 vt tantum extrema litera de articulo ſit  
 reliqua, Vt: ins Vaters namen / in pa-  
 tris nomine, pro, in des Vaters namen:  
 Ich gehe zum Vater / eo ad patrem, pro,  
 zu dem Vater. Auffſ feld gehen / pro,  
 auff das feld, ire rus. Zur Kirchen / in  
 templum / pro, zu der Kirchen. In præpo-  
 ſitionibus, an / in / von / etiam n abiſci-  
 tur, Vt: am tage / in die, pro, an dem ta-  
 ge. Im wege / in via, pro, in dem wege.  
 Vom felde / rure, pro, von dem felde.

### III.

Indefinitus articulus plurali nume-  
 ro caret: Finiti tria genera conueniunt  
 in plurali in omnibus caſibus, vt oſten-  
 dit paradigma.

## DE NOMINE.

**N**omen cognoscitur ex additione  
 Articuli ein / vel, der / die / das / vt: ein  
 Man / vir, eine feder / penna, ein buch / li-  
 ber :

ber: der Knecht / Serui, die Magd /  
 Ancilla, das Thier / Animal. Nomen  
 aliud est Proprium, aliud Appellati-  
 uum. Proprium aut est personæ, vt:  
 Johannes / Peter / Anna: aut rei, vt vr-  
 bium, pagorum, insularum, montium,  
 & fluuiorum, vt: Leipzig / Bendeleben /  
 Malta / der Hundsberg / die Wipper.  
 Propria nomina aut Germanica sunt  
 sua origine, vt: Friderich diues pacis  
 .i. Salomo, Irenæus, quæ postea ab ex-  
 teris nationibus vsurpata & corrupta  
 sunt, vt: Vercingetorix, apud Casa-  
 rem, pro Ceersinreich / vaide ingenio-  
 sus, vel iuxta Lutherum in suo Etymos-  
 logico transpositè pro Hertoge Hinrich  
 Saxonice, quod est Herzog Heinrich,  
 Dux Henticus. Aut ab alijs linguis  
 petita sunt, vt: Johannes ex Ebrao  
 יְהוָה, quod gratiosum significat. Sed  
 siue sint Germanica siue peregrina  
 propria nomina, vulgus concisè & cor-  
 ruptè illa effert, vt quærenti etymon di-  
 uinatione interdum opus sit, vt: Kurt  
 vel Kunse .i. Kunrad / Cunradus, con-  
 silio potens. Mas .i. Matthæus. Kete

& Kattern .i. Catharina. Ilge .i. Iuliana  
 &c. Et in his suis cuiusque regionis mos  
 est. Appellatiuum aliud est Substantiuum,  
 aliud Adiectiuum. Substantiuum  
 vnus tantum generis est: Adiectiuum  
 verò per tria genera moueri potest. Co-  
 gnoscitur autem adiectiuum vel ex ad-  
 iectione particularum, Man / Frawe /  
 Ding / vel ex praepositione articulo-  
 rum, Der / Die / Das / vt: ein schöner  
 Man / formosus vir, eine schöne Frawe /  
 formosa foemina, ein schönes Ding / for-  
 mosum quiddam, Vel: Der schöne /  
 Die schöne / Das schöne. Formosus, a,  
 um. Pulcher, ra, rum.

Accidunt nomini, Motio, Compa-  
 ratio, Genus, Numerus, Figura, Cas-  
 sus, Declinatio, & Species.

### M O T I O.

Mouentur adiectiua omnia per tria  
 genera, sed vel per tres terminationes,  
 vel per vnam, de qua re accipe duas  
 regulas.

#### I.

Tribus terminationibus mouentur  
 adiectiua

adiectiua , cum adduntur substantiuis  
 cum articulo indefinito ein / & tunc  
 Masculinum desinit in er, Fœmininum  
 in e , Neutrum in es , vt : ein fromer  
 Man / eine frome Frawe / ein fromes  
 Thier / probus Vir , proba Fœmina,  
 probum Animal. Eadem est ratio, cum  
 Pronomina possessiua præponuntur,  
 vt : mein lieber Man / meine liebe Frawe/  
 mein liebes Herze / mi vir , mea vxor,  
 meum cor.

## II.

Vna terminatione mouentur adiec-  
 tiua , cum vel præponuntur ipsis arti-  
 culi, Der / Die / Das / & tunc in e de-  
 sinunt , vt : Der / Die / Das frome / &  
 cum substantiuis , Der frome Man /  
 Die frome Frawe / Das frome Thier :  
 Vel cum ipsa adiectiua absolute , id est,  
 sine articulo, vel prædicati loco ponun-  
 tur, & tunc abijciunt e finale, & in con-  
 sonantem præcedentem desinunt , vt :  
 from/ gut/ schön/ vel , der Man ist from/  
 Vir est probus, die Frawe ist from / Fœ-  
 mina est proba , Das Thier ist from/  
 B 3 Ani-

Animal est probum. Excipitur Welse/  
Sapiens, quod e retinet ad differen-  
tiam ab adiectiuo Weiss/ Albus, Et  
böse vel böse/ quod utroq; modo dicitur.

DE MOTIONE SUB-  
stantiuorum.

Mouentur & substantiua quaedam,  
sed tantum de genere Masculino in  
Fœmininum, & sunt pleraq; officio-  
rum & nationum nomina, & quaedam  
animalium vocabula, & horum Fœmi-  
ninum desinit in in/ & mutantur in qui-  
busdam vocales, a ine / o in ô / u in ü/  
&c. Itē: Der Keiser/ Cæsar, Imperator,  
die Keiserin / Imperatrix, der König/  
Rex, die Königin / Regina, der Fürste/  
Princeps, die Fürstin / der Gräffe/ Co-  
mes, die Gräffin/ der Bürger/ Ciuis, die  
Bürgerin / der Bauer/ Rusticus, die  
Bewrin/ Rustica, der Schmid / Faber,  
die Schmidin / der Schwab / Sueuus,  
die Schwebin / Sueua, der Meissner/  
Misenensis, die Meissnerin / der Vuler/  
Amator, die Vulerin / Amatrix, der  
Wolff / Lupus, die Wölffin / Lupa,  
der

der Lewe / Leo, die Lewin / Lexna, der  
Esel / Asinus, die Eselin / Asina.

COMPARATIO.

Comparantur nomina adiectiua tantum, per tres gradus, de quare accipe has regulas.

Comparatiuus formatur à positiuo addendo er / & Superlatiuus, addendo ste / vt: Schön / pulcher, schöner / der schönste. In quibusdam interponitur e ante ste / vt: Der elteste / maximus natus. Mutantur & Vocales ac Diphthongi Positiui in Comparatiuo & Superlatiuo, videlicet a in e / o in ö / u in ü / au in eu / vt: Lang / longus, lenger / der längste. Krank / ægrotus, krencker / der krenckste. Starck / fortis, firmus, stercker / der sterckste. Warm / Calidus, wärmer. Schwach / debilis, infirmus, schwächer. Karg / parcus, karger. Arg / prauus, erzger. Scharff / acutus, scherffer. Gross / magnus, grösser. Voll / plenus, völler. Toll / insanus, töller. From / probus, frömer. Klug / prudens, klüger. Jung.

iuuenis, jünger. Braun / fuscus, breun-  
ner / der breunste ꝛ.

## II.

Quorum Positiuis additur Aduer-  
bium intendendi sehr / wol / eben / fast /  
eorum Comparatiuis additur particula  
noch / & Superlatiuis aller / vt: Wol-  
geleret / perdoctus, noch geleter / multo  
doctior, der aller geleterste / longe doctis-  
simus.

## III.

Quædam irregulariter comparan-  
tur, vt: Gut / besser / der beste / Bonus,  
melior, optimus. Böß / erger / der erg-  
ste / Malus, peior, pessimus. Viel /  
mehr / das meiste / Multum, plus, pluri-  
mum. Quædam etiam Comparatio-  
nem non recipiunt, vt: Link / sinister.  
Recht / dexter. Todt / mortuus. Leben-  
dig / viuus. Et his similia.

GENVS.



## GENVS.

Genera Nominum sunt septem, vt:

1. Masculinum
2. Foemininum
3. Neutrum
4. Commune
5. Omne

Cuius nota  
est articulus

der / vt der Mann / Vir.

die / vt die Strabe / Foemina.

das / vt das Haus / Dominus. <sup>5</sup>

der & die / vt der ober die  
Schutter, Compter,

Compter.

der / die / das / vt in adiectiuis.

6. Epicæ.

6. Epicanum, cum vno articulo vtrumq; sexum complectimur, quod fit in Animalium appellationibus, vt: der Sperling/Passer, der Storch vel Storck/ Ciconia, die Schwalbe / Hirundo, der Hund / Canis, die Kage / Catus, der Hecht/ Lupus piscis.

7. Dubium, cum vox aliqua diuersis generibus effertur, vt: der teil & das teil/ Pars, der Scepter & das Scepter/ Sceptrum, die erkendnis & das erkendnis/ Noticia, die giff & das giff/ Venenum, Et alia. Sed in his videndum, quid probet vsus, & suus cuiq; regioni tropus est.

Cognoscitur autem Genus apud Germanos quatuor modis. 1. Ex articulo, Masculino enim præponitur der/ Fœminino die/ Neutro das/ vt iam dictum est. 2. Ex adiectiuo addito per regulas demotione traditas. 3. Ex significatione per regulas generales. 4. Ex terminatione per regulas Speciales.

Regulæ

REGVLÆ GENE-  
RALES.

## I.

Virorum, officiorum virilium, mensum, ventorum, & quadrantum anni nomina sunt generis Masculini. Virorum, vt: Johannes. Officiorum, vt: der Vater / Pater, der Son / Filius, Vetter, Patruus, Schwager / Affinis, Keiser / Imperator, König / Rex, Bürgermeister / Consul, Schmid / Faber. Mensum, vt: Jenner / Ianuarius, Hornung / Februarius, Merz / April / Mey / Brachmonat / Hermonat / Augustmonat / Herbstmonat / Weinmonat / Wintermonat / Christmonat. Ventorum, vt: Ostwind / qui flat ab ortu, & collaterales eius Ostside / & Ostnord: Westwind / qui flat ab occasu, & collaterales eius, Westside / & Westnord. Sudwind / qui flat à meridie, & collaterales eius Sudost & Sudwest. Nordwind / qui flat à septentrione, & collaterales eius, Nordost & Nordwest. Quadrantum anni, vt: der Frilling vel Lentz / Ver. Som

Sommer/ Aestas, Herbst/ Autumnus,  
Winter/ Hyems.

## II.

Mulierum, muliebrum officiorum,  
arborum, quibus *γενικόν* non additur, &  
pleraq; fructuum ac fluuiorum nomi-  
na, sunt generis Foeminini. Mulierum,  
vt: Anna/ Martha. Officiorum, vt:  
die Mutter/ Mater, die Tochter/ Filia,  
die Amme/ Nutrix, die Magd/ Ancilla.  
Arborum, vt: die Eiche/ Quercus,  
die Tanne/ Abies, die Fichte/ Pinus, die  
Pappel/ Populus, die Linde/ Tilia. Fru-  
ctuum, vt: die Nuss/ Nux, die Birn/  
Pirum, die Pflaume/ Prunum, die Kir-  
sche/ Cerasum. Excipitur der Apffel/  
Pomum, der Spilling/ Prunum ce-  
reum, & quaedam alia, quæ docebit  
usus. Fluuiorum, vt: die Donau/ Da-  
nubius, die Elbe/ Albis, die Elster/ Ely-  
ster, die Wipper/ Vippera, die Helm/  
Helmus, die Mulde/ Molda, die Neis-  
se/ Nissa, &c. Excipiuntur der Jordan/  
Iordanes, der Rhein/ Rhenus, der Mein/  
Moenus, & quaedam alia.

Vrbium,

## III.

Vrbium, oppidorum, pagorum, & literarum nomina sunt generis Neutri, vt: das Leipzig / das Northausen / das Bendeleben / das Grünigen / das A / das B / das C. Sed horum *γενικά* articulis differunt, vt: die Stad / der Flecke / oder Marck / das Dorff / der Buchstabe / Vrbs, Oppidum seu Castellum, Pagus, Litera. Sunt etiam Neutri generis Infinitiu, cum in nomina degenerant, & alia quæ *τεχνηώς* ponuntur, vt: das thun / ipsum facere, das schreiben / ipsum scribere, das beten / ipsum orare, das Magister / das ja / das la / das re / das ja / das nein.

## IIII.

Quæ conueniunt viris ac mulieribus, non mutata terminatione, sunt Communis generis, vt: der Geuatter / Compater, die Geuatter / Commater vel iuxta quosdam Compatriſſa. Et dicitur quasi Jauater .i. pater Spirituallis, qui infantis loco Diabolo renunciet,

riet, & confessionem fidei edat, cum ad interrogata baptistæ Ja .i. ita dicere iubetur. Sed pauca sunt Communia Germanis, atq; haud scio, an vllum præterea sit, si non sit der & die Gemahl / quod tamen in Neutro rectius effertur. Nam quæ Aelingerus affert in sua Grammatica, eæ non agnosco. Dicimus enim der Widwer / Viduus, & die Widwe / Vidua, Cætera latina sunt.

## V.

Numeralia à tribus ad mille in infinitum vsq; sunt generis Omnis, vt: drey Menner / tres Viri, drey Frawen / tres Fœminæ, drey Thiere / tria Animalia. At substantiuum centum & mille, generis Neutri est, vt: das hundert / das tausent. Vnum & duo, variantur per genera distinctis terminationibus, vt: Einer / eine / eines & concisè eins. Et cum Substantiuo, ein / eine / ein. De cæteris numeralibus vide infra in Syntaxi. Zween / zwo / zwey.

Quadru-

## VI.

Quadrupedum, volucrum, piscium, & reptilium nomina sunt Epicœna. Sed ex his quæ in e desinunt, pleraq; sunt Fœminina, vt: die Kaze / Castus, die Meise / Parix, die Sirupe / Lacertus, die Raupe / Eruca, Cætera ferè Masculina sunt, vt: der Hund / Canis, der Specht / Picus, der Hecht / Lupus, der Kefer / Scarabeus. Excipiuntur tamen quædam vtrinq;, quæ docebit vsus & lexicon adhibitum.

## VII.

Quæ Dubij generis sunt, in his videndum, vtrum genus crebrius vsurpetur, & numqua sit differentia, vt: der teil & das teil / Pars. Du solt keinen teil vnter ihnen haben / Non habebis vllam partem inter eos. Numeri 18. Gib mir das teil der Güter / das mir gehört / Da mihi partem meam proportionalem. Lucae 15. Sic der Scepter & das Scepter. Den güldenen Scepter / aureum sceptrum. Esther 5. Es sol das Scepter von Juda nicht entwendet werden / Non

Non auferetur sceptrum de Iuda. Gen.  
49. Sceptrum pro regno. Der & die  
schos / Gremium, Sinus. Vnd sie liefs  
ihn entschlaffen auff ihrem schos / Dor  
mire eum fecit in sinu suo, Jud. 16.  
Vnd legets auff ire schos / Posuit in sinu  
suo, Ruth 4.

## VIII.

Composita eiusdem sunt generis,  
cuius est  $\gamma\epsilon\upsilon\iota\kappa\omicron\upsilon$  ipsorum in quod desi-  
nunt, vt: der Apffelbaum / Pomus, der  
Birnbäum / Pirus, quia der Baum Ar-  
bor. Der Strausberg / der Risenberg /  
quia der Berg Mons, der Blutstein /  
Hæmatites, der Marmolstein / Mar-  
mor, quia der Stein Lapis. Der Jar-  
marckt / Nundinæ, der Kornmarckt / Fo-  
rum frumentarium, quia der Marckt  
Forum. Das Panterthier / Panthera,  
das Murrelthier / Mus alpinus, quia  
das Thier Animal. Das Einhorn / Vni-  
cornis, das Eichorn / Sciurus, quia das  
Horn / Cornu. Sic de alijs sentiendum.

Regulæ



R E G V L Æ S P E.  
C I A L E S.

Ex terminatione etsi aliquo modo cognoscitur genus, Fœminina enim pleraq; in a desinunt, Et quæ eiusdem sunt terminationis, eiusdem ferè sunt generis: tamen hoc non est perpetuum, sed vtrinq; excipiuntur complura, ideoq; genus aut vsu discendum, aut ex Lexico quærendum est. Annotauimus tamen quædam iuxta terminationes secundum ordinem Alphabeti.

Desinentia in a.

In a desinentia omnia ferè Fœminina sunt, cum sint pleraq; nomina mulierum, vt: Anna / Maria.

Desinentia in h.

Masculina sunt hæc: Der Stab / Baculus. der Raub / Præda. der Leib / Corpus. der Dieb / Fur. der Hieb / Ictus. der Korb / Corbis.

C

Neutra

Neutra sunt : Das Grab / Sepulcrum. das Weib / Mulier. das Kalb / Vitulus. das Lamb / Agnus.

### Desinentia in c.

In c desinentia nulla sunt apud Germanos, sed in c̄. Si qua in c desinunt, ea peregrina sunt, vt: Habacuc/nomen Prophetæ. Isaac/nomen Patriarchæ. Kuckuck/ Coccix seu Cuculus, Leuitici II. Deuteron, 14.

### Desinentia in d.

Masculina sunt : Der Grad / Gradus. der Todt / Mors. der Eid / Iuramentum. der Neid / Inuidia. der Sand / Arena. der Rand / Margo. der Stand / Status. der Abend / Vesper. der Grund / Scabies. der Wind / Ventus. der Mund / Os. der Grund / Fundus. der Hund / Canis. der Bund / Fœdus, eris. der Mord / Homicidium. der Wald / Sylua. der Herd / Focus. der Held / Heros. der Schild / Scutum. der Sold / Stipendium.

Fœmi-

Fœminina sunt: Die Stad / Vrbs,  
 Ciuitas. die Schuld / Huld / Debitum,  
 Fauor. die Wand / Hand / Paries, Ma-  
 nus. die Herd / Grex. die Gegend / Zu-  
 gend / Jugend / Regio, Virtus, Iuuen-  
 tus. die Zierd / Begierd / Ornatus, Cu-  
 piditas. Postrema duo etiam d abijciunt  
 per apocopen præsertim in Carmine,  
 vt: Zier / Begier / sicut Thier.

Neutra sunt: Das Bad / Bad / Bals-  
 neum, Rota. das Augêlied / Glied / Lied /  
 Palpebræ, Membrum, Canticum. das  
 Leid / Luctus. das Wild / Bild / Fera,  
 Imago. das Gold / Aurum. das Band /  
 Land / Pfand / Vinculum, Regio, Pis-  
 gnus. das Kind / Kind / Infans, Bos. das  
 End / Elend / Finis, Miseria. das Pfund /  
 Libra. das Pferd / Equus. das Feld /  
 Rus.

### Desinentia in e.

In e desinentia pleraq; Fœminina  
 sunt, & ex omnibus terminationibus  
 formantur assumto in fine e / vt: Die  
